



**R. P. Thomæ Comptoni Carleton, Cantabrigiensis,
Societatis Jesu, In Collegio Anglicano Leodiensi Sacrae
Theologiae Professoris, Cursus Philosophicus Unversus**

Carleton, Thomas Compton

Antverpiæ, M.DC.XCVII.

Prooemium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95656](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95656)

DISPUTATIONES IN VNIVERSAM ARISTOTELIS LOGICAM. PROOEMIUM.

Quidam
dum Logi-
cam breuem
facere vo-
lunt, man-
cam faciunt.



Mediocritas
omni in re
seruanda.

Vplex auctorum genus video, qui, ut varia sunt hominum studia, in, non diversas tantum, sed oppositas abiere sententias. Alij namque cum de natura Logicae, dignitate, ac Nomine sermo instituendus foret, nihil potius, quam nimium, dicere eligunt, ac festinationis studiosiores quam decori, debita eam laude, cultu, & ornatu spoliunt, dumque Logicam breuem facere volunt, mancam faciunt. Alij nullum his de rebus dicendi finem faciunt, & in antiquitate Logicae, origine, & Inventoribus enarrandis, non dies tantum & hebdomadas, sed ipsos etiam totos menses, si non inutili, minus certe necessario labore collocant. Illi in Logicae commendatione nimis mihi Logici, vel etiam Laconici videntur, & dum verborum superfluitatem fugiunt, in taceritatem, dum Scyllam, in Charybdim incidunt. Hi quasi solem cum Iosue sistere valerent, dum velitationes suas literarias, ac praelia conficiunt; totas hic disputationes, & tractatus, sedula magis quam sapienti industria contexunt. Illorum ego ut vituperandum silentium, ita horum nimiam non laudandam diligentiam censeo; quippe qui in minutioribus hisce otio & opera abutentes, res postea maiores, vel non omnino, vel non pro dignitate tradere coguntur. Isthaec proinde ita percurram, ut non siluisse potius, quam de iis dixisse, & ut instituti memor, ita temporis non immemor fuisse videar.

DISPUTATIO PRIMA.

De Natura & proprietatibus Logicae.

Quatuor in
rei cuiusque
investigatio-
ne quaerenda.



Uatuor in cuiusque rei tractatione investiganda docet Philosophus. 2. Post. c. 1. An sit, Quid sit, Quale sit, & Propter quid sit. An sit Existentiam, Quid sit, Naturam, Quale sit. Proprietates, Propter quid sit, Finem indicat. Ex his quatuor veluti quatuor elementis, perfecta uniuscuiusque rei notitia constituitur.

SECTIO PRIMA.

De Origine Dialecticae & fine.

I. Nihil simul
inventum
& perfectum.

Nihil simul inventum, & perfectum. Quod ut aliis in rebus, ita in scientiis verissimum esse quotidianam constat experientiam. Cum ergo Logica Adamo primum infusa, & ab eo posteris tradita, labentibus paulatim saeculis intercederet: quas vicissitudines varietatesque subierit nobilissima haec scientia, ut coeperit, ut adoleverit, ut senuerit, ut orta denuo, ut decursu temporis aucta, ac locupletata fuerit: quibus demum incrementis ad hunc perfectionis apicem pervenerit, paucis recensebo.

II.

Quoad primum itaque, quod inquirendum praescribit Aristoteles: dari Dialecticam certum omni-

no, & exploratum est, quod proinde quisquis negaverit, is eadem opera viros quosque gravissimos, qui illam vel autoritate sua firmarunt, vel illustrarunt commentariis, inscitiae, ne dicam amentiae condemnaverit. Imo vero non solum est, sed ita ad caeterarum scientiarum acquisitionem utilis est, ac prope necessaria, ut sine ea nulla omnino scientia plenè obtineri ac perfectè possit, ut postea latius dicetur.

Est porro Dialectica veritatis indagatrix, hoc enim ei elogium in artium liberalium enumeratione assignatur.

Gram: loquitur, Dia: vera docet, Rhe: verba colorat, Mus: canit, Ar: numerat, Geo: ponderat, Ar: colit astra.

Unde sicut sol inter planetas, ita Dialectica inter septem haec sidera emicat, iisque splendore suo, dignitate, ac praestantia, multis gradibus antecellit.

Est scientiarum clavis, utpote cuius ope abditissima quaque, maximeque recondita, in suis singulae materiis recludunt, ac referant. Est filum, cuius ductu intricatissimos mens humana labyrinthos, in naturis rerum indagandis percutrit, ac peruestigat. Est demum rectitudinis regula, ad quam scientiae reliquae suos explorare actus debent, ne à praescri-

Nemo dubit-
tare potest an
datur Dialectica.

III.
Dialectica
veritatis in-
dagatrix.

IV.
Scientiarum
clavis.

pro